



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Francisci Chiffletii, Vesontionensis, Societatis Jesu  
Presbyteri, Opuscula Quatuor.**

**Chiflet, Pierre François**

**Parisiis, 1679**

Text

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9409**

I. Ortus & genus S. Bernardi.

**I**N territorio Lingonis civitatis situm est Castrum, nobile quondam & inclitum valdè, cui Castellio nomen est, multos habens Proceres armis strenuos, sed multò magis legalitate præcipuos: inter quos excellebat Tecelinus quidam cognomento Sorus; quo nomine, vulgari linguâ subrufos & penè flavos appellare solemus. Erat autem vir iste genere nobilis, possessionibus dives, suavibus moribus, amator pauperum maximus, summus pietatis cultor, & incredibilem habens justitiæ zelum. Denique & mirari solebat, quòd multis onerosum esse videret servare justitiam, & maxime (adversus quos amplius movebatur) quòd aut timore aut cupiditate desererent justitiam Dei. Erat quidem Miles fortissimus, sed non minori studio laudes ipse fugiebat, quàm ceteri captare videantur. Nunquam armis usus est, nisi aut pro defensione terræ propriæ, aut cum domino suo,

170 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

Duce scilicet Burgundie, cui plurimum familiaris & intimus erat: nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret. Erat quidem indigena Castellionis, sed Dominus minoris Castri, cui Fontana nomen est, quod famosissimo illi Castro Divionis supereminet, in excelsa rupe locatum. Huic sanè uxor erat, Elizabeth nomine, ex optimo genere Burgundionum, Bernardi de Montebarro filia, digna tanto genere & tanto viro, immò & gloria utriusque. Elizabeth filium hunc divino edocta oraculo, tenerius omnibus dilexit; unde & patris sui ei nomen imposuit, Bernardum eum vocans.

ELIZABETH ubique huic Auctori scribitur S. Bernardi mater, quæ aliis modò Aleth, nunc Alays sive Alaysia; vocibus fortasse idem sonantibus, & dialecto tantum inter se diversis. Quemadmodum autem S. Bernardus ( ut hîc vides ) à Bernardo Montisbarri do-

OPUSCULUM IV. 171

mino, avo suo materno, nuncupatus fuerat, ita & soror ejus Humberga, sive Humbelina, quæ post illum proximè nata est, ab Humbergâ Granceianâ, aviâ suâ maternâ, nomen tulit. Constans est traditio fuisse S. Bernardo vel affines vel consanguineos Dominos de Granceio; sed probatio hæcenus difficilis. In Castro Granceiano superest antiquæ structuræ cubiculum, Sancti Bernardi vulgò dictum, quia in eo ipse excipiebatur, quoties ad cognatos suos Granceyanos Dynastas divertebat. In Chronico Granceiano à quingentis ferè annis conscripto, sub titulo *De tertiâ filiâ de Granceyo*, affirmat Auctor, Adeleidem quæ Tecelino domino de Fontanis sanctum Bernardum genuit, fuisse filiam filix Domini de Granceyo. Hanc verò Humbergam fuisse appellatam, habemus ex Chronico S. Petri Vivi Senonensis ad annum Christi 1065. & Bernardo Montisbarri Domino fuisse matrimonio copulatam. Erat

172 *Excerpta de vita S. Bernardi.*  
igitur S. Bernardus Granceiani Dyna-  
stæ in tertio gradu consanguineus.

II. Visum divinum in nocte Nativi-  
tatis Domini Bernardo puerulo  
oblatum.

**E**RAT autem in Castellione Eccle-  
sia, tunc quidem secularium Cano-  
nicorum, sed in maximâ disciplinâ vi-  
ventium, in quâ Bernardus est educatus  
à parvulo. Vigiliâ ergo dominicâ Nati-  
vitatis, dum adhuc puerulus dormiret in  
domo patris, videbatur sibi videre virgi-  
nem parientem, & Verbum infans nas-  
cens ex eâ. Protinus autem pulsatum est  
ad Vigilias: & excitans eum mater, in-  
duit accuratè vestibus Canonicalibus, &  
secum pariter ad Ecclesiam duxit ut sole-  
bat. De quâ visione dicere ipse solebat  
quòd eam crederet dominicâ Nativitatis  
horam: & quòd sibi ostensum est, signum  
fuisse multorum quæ sibi de eadem postmo-  
dum Nativitate revelata sunt mysterio-  
rum.

III. De ejus patre, & fratribus.

**A**NDREAS Bernardo dixit: Ecce, date operam ne quis fratrum nostrorum in saeculo maneat: alioqui scinde me medium, quoniam nec à vobis, nec ab illis separari tolerabile est.

Quid virilem illius patris animum loquar? qui unâ die sex filios, & filios tales videns abire, non modo non doluit, sed & gavisus est valdè; illud tantum monens ut in omnibus modestè agerent, quoniam ego (inquit) novi vos, quòd aut vix aut nunquam possit zelus vester cohiberi. Proficiscentibus itaque fratribus, unus tantum, & ipse puerulus remanebat, qui cum parvulis aliis in plateâ jocabatur. Videns ergo eum senior frater Guido; Ecce (inquit) Nivarde, securè potestis ludere, quoniam terram multam habiturus estis. At ille subsannans; Cum maledictione, inquit, fiat hac distributio, ut vos calum habeatis, ego terram. Fugiebat ergo quotidie puer ad fra-

174 *Excerpta de vita S. Bernardi:*

tres suos, volens conversionis eorum socius fieri. Sed quia parvulus erat, remittebant eum, & reddebant patri suo. Tandem non ferentes importunitatem ejus, tradunt eum Sacerdoti cuidam, ut disceret litteras: & ubi paululum crevit, factus est & ipse Novitius apud Cistercium, & suscepto post anni spatium habitu, reditus est Fratribus in Clara-*valle*.

IV. Guidonis primogeniti conjux, Abbatissa Elariaci prope Divionem, quando hæc scribebat Gaufridus.

**S**ENIOR frater ejus Guido cum de conversione loqueretur ei, excusare se cepit de uxoris vinculo quod solverenon liceat. Promisit tamen in fide, & dextram dedit, venturum sese cum fratre, si posset ab uxore licentiam obtinere. Ad quem illicò frater ait: Ut meliori sis animo, ego quoque in eadem tibi fide promitto, ante proximum Pascha, aut licentiã, immò & petitione, aut certè morte ipsius, solvendum te à lege uxoris. Et

OPUSCULUM IV. 175

*promisit in manu ipsius. Nec multò post factum est uti prædixit, & cæpit juvencula nobilis & decora, cum omni instantiâ lacrymarum, in cubiculo, stupenti viro pro conversionis licentiâ supplicare. Ipsa est quæ usque hodie in Monasterio Lairicus, quod prope Divionum situm est, perseverat mulier virtutis, & multarum in Christo Virginum Mater.*

Sub hujus Præfectæ Lariacensis curâ fuisse videtur Aremburgis, Hugonis II. Burgundiæ Ducis filia, de cujus dote sunt tabulæ sequentes ex autographo Benigniano descriptæ.

Hugo II. Dux Burgundiæ, Aremburgem filiam suam in Monasterio Lariacensi velandam Deo consecrans, dat eidem Monasterio omnem Justitiam, cum omnibus exactationibus & consuetudinibus quas apud Lariacum habebat: laudantibus Mathilde conjuge, & quatuor filiis, Odone, Roberto, Henrico, atque Hugone: adstantibus, Hugone S. Benigni, Stephano



176 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

Cisterciensi, Bernardo Claravallensi, & Herberto S. Stephani Divionensis Abbatibus, aliisque Reverendis ac Nobilibus viris. Circa annum Christi 1127.

» **I**N NOMINE sanctæ & individuæ  
» Trinitatis. Præsentibus cunctis &  
» futuris notifico, quòd ego Hugo Dux  
» Burgundiæ, quando filiam meam  
» **A**REMBURGEM tradidi in Monaste-  
» rio *Lariacensi* Deo servire, laude  
» uxoris meæ *Mathildis* ac filiorum meo-  
» rum *Odonis, Roberti, Henrici*, atque  
» *Hugonis*, dederim Deo & Sancto Beni-  
» gno Divionensi, ac Monialibus de  
» *Lariaco*, omnem Justitiam, cum omni-  
» bus exactionibus & consuetudinibus  
» quas apud *Lariacum* habebam, vel me  
» debere ibidem habere dicebam: & con-  
» cesserim ut Monachi qui eidem loco  
» præessent, jure quieto in perpetuum  
» illas haberent. Huic autem donationi  
» meæ interfuerunt plures tam sæculares  
» nobilissimi viri, quàm religiosi, qui  
» etiam

OPUSCULUM IV. 177

etiam inde testes existunt. HUGO Ab-  
bas Divionensis, STEPHANUS Ab-  
bas Cisterciensis, BERNARDUS Ab-  
bas de Claravalle, Girardus frater ejus,  
Herbertus Abbas sancti Stephani Di-  
vionensis, Walo Abbas, Raynerius de  
Rupe, Girardus de Castellione, Johan-  
nes de Belnâ, & Raynardus frater ejus,  
Widricus Divionensis, & Aymo fra-  
ter ejus, Carpinus, Hugo de Besuâ,  
Petrus frater ejus, Hugo de Ysio, Oddo  
Coccus, Uldierius, Robertus Sacrista,  
& alii plures.

M



Harum tabularum epocham demonstrant Herbertus S. Stephani, & Hugo S. Benigni Divionensis Abbates. Iniit enim Herbertus anno 1125. Abdicavit autem Hugo 1129. Medio igitur tempore, adeoque circa annum 1127. in Larcio velata est Aremburgis.

OPUSCULUM IV. 179

Eodem porrò se receperat Guidonis primogeniti Bernardum fratrem in Monasterium Cisteriense comitatu conjux, ex anno 1113. quæ si jam anno 1127. Larensi Parthenoni nondum præerat, poterat certè regis puellæ Aremburgis educationi à Monasterii Matre præfici. Quo factum videtur, ut adesset inter cæteros Bernardus ejus dotationi, sive ut illius cum cælesti Agno nuptias suâ præsentia cohonestaret, sive ut illam fratris suæ de meliore notâ commendaret.

Lariaci sive Elariaci dominium utile, Sancto Benigno jam olim contulerat Guntrannus Rex, confirmaverat Rex Chlotarius III. Wilfehranno Abbati, ix. Kalendas Novembris, anno regni sui octavo: addidit Hugo Dux II. dominium altum quasi pro dote filie suæ Aremburgis. Si quæris de origine Lariacensis Parthenonis, aio videri ad Jarentonis Abbatis tempora referendam. Ex Chronico Hugonis Floriam.

M ij

180 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

ensis, Jarento apud Casam Dei habitum suscepit monasticum anno Christi 1074. Vasta erat eremus, utpote quæ ante annos viginti, habitationes hominum non noverat. Ibi mox compulsus est magister fieri ex discipulo, & Prioris suscepit officium jussu Duranni Abbatis, & totius Congregationis voto. Triennium eo munere est perfunctus, donec in Concilio Augustodunensi creatus est Abbas S. Benigni Divionensis, & à Rainardo, cognomento Hugone, Lingonensi Episcopo sollemni ritu consecratus xv. Kalendas Octobris anni 1077. Jarento jam Abbas, proximè sequenti anno 1078. xiiii. Kalendas Julii privilegium obtinet à Gregorio Papa VII. in quo inter alia hæc ait Pontifex: *Ecclesiam quoque Beati Germani de Laré, ubi Sanctimonialia consistunt, vobis perpetuò confirmamus possidendam: & ut ipsa Sanctimonialia nunquam à subjectione Ecclesie Divionensis se removeant, sub ana-*

P. M.

OPUSCULUM IV. 181

*themate prohibemus; sed semper per vestram providentiam gubernentur. Dederat ( ut jam monui ) Guntrannus Rex Sancto Benigno vicum qui est in prospectu hujus Monasterii ( inquit auctor Chronici Benigniani ) tunc magna amplitudinis, vocatum Elariacum, cum omnibus appendiciis suis, super Oscaram fluvium situm. Sed de Monialium ibi constitutâ familiâ nullum uspiam verbum ante Jarentonem, Junge nunc tempora, compara inter se eventus, & ad rerum gestarum adjuncta animum adverte.*

Hildeberti Marchiæ Comitis filia, anno Christi 1076. ad Casæ Dei vastam eremum fit Monialis. Cujus porro curæ committitur, nisi Jarentonis qui Prior erat Casæ Dei ex anno 1074. Cùm exinde aliò deductas fuisse constat Casæ Dei Moniales, numquid locum quasi digito monstrat Jarento, factus Abbas Divionensis autumnno anni 1077. Vicum nempe Elariacum dittonis S. Benigni, & in Benigniani Mo-

182 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

nasterii prospectu positum? Et Sanctimonialium Congregationis in S. Benigni agro constitutæ regimen quid necesse erat rescripto Pontificio Benignianis vindicare, nisi ut ab eo arcerentur Casæ Dei Monachi, qui tanquam à se Deo consecratas, velle poterant ubique regere, ac sibi habere obnoxias.

Plura nos de hoc argumento in Sacratio nostro Jurenfi, hoc est, in Historiâ Monasterii S. Claudii, brevè (ut speramus) typis excudendâ: cum ageremus de sancto Simone ex Comite ad S. Eugendum Monacho. Hunc enim sibi generum ambierat Hildebertus Marchiæ Comes. Sed oblatam sibi conjugem Simon in Christi Sponsam convertit, quâ ad Casam Dei factâ Moniali, factus ipse est Jurensum Patrum sanctitatis æmulator.

Hæc de exordiis Lareyensis seu Lariacensis Monasterii, quo excepta est Aremburgis Hugonis II. Burgundiæ

OPUSCULUM IV. 183

Ducis filia, de nomine ataviæ suæ sic appellata. Sed his principiis non respondit recentiorum temporum cursus. Laxatâ sæculis posterioribus & Monachorum Benignianorum, & Lariacensium Monialium disciplinâ, primùm harum imminutus est numerus, & loci proventus inter Monachos & Moniales divisi, tandem Priori Monacho ad hanc diem cessere in solidum: nuper (ut audio) Ludovici Magni, Christianissimi Regis studio, sustinendis Societatis JESU Orientalibus Missiionibus destinati.

Lareyi antiquum statum ex Archivi Benigniani sequentibus aliquot tabulis cognosces.



184 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

*Guntrannus Rex dat S. Benigno Vicum  
Elariacum, in prospectu Benigniani  
Monasterii situm, cum omnibus re-  
bus ad illum spectantibus, anno regni  
sui XXIII. ære vulgaris 583.*

*Ex Chronico S. Benigni, cap. XVIII.*

» **G**UNTRANNUS Rex Franco-  
» rum, cum jam anno XXIII. Re-  
» gnum Burgundiæ feliciter regeret, vi-  
» dens sibi liberos non superesse, cœpit  
» thesauros suos in eleemosynis paupe-  
» rum distribuere, Monasteria & loca  
» sancta ex ipsis thesauris ditare: inter  
» quæ & ecclesiam hujus patroni nostri,  
» sancti scilicet Martyris Benigni, donis  
» optimis extulit. Ipse denique dom-  
» nus Guntrannus præcellentissimus Rex  
» dedit sancto Benigno vicum qui est in  
» prospectu hujus Monasterii, tunc ma-  
» gnæ amplitudinis, vocatum ELARIA-  
» cum, cum omnibus appendiciis suis,  
» super Oscaram fluvium situm. Et om-

OPUSCULUM IV. 10,

nia quæ nunc usque ad possessionem  
pertinent hujus loci, à ponte Divionis  
usque Floriacum villam, contulit me-  
moratus Princeps sancto Martyri Be-  
nigno. In Biciso scilicet, in villa Co-  
lonicas dictâ, in Plomberias, in Sili-  
niaco, in Scontio, in Villari, in Cam-  
paniaco, in Lentennaco, in Girone,  
in Corcellas, in Flaviniaco, in Pruni-  
do, in Jussiaco, in Matriniaco, in Bar-  
biriaco. His & aliis locis mansa vesti-  
ta, & absa, cum mancipiis plurimis  
utriusque sexûs, terris cultis & incul-  
tis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis  
aquarûmque decursibus, ingreditiis,  
exis & egressis, omnibus rebus exqui-  
sitis & inquirendis, totum ad integrum  
contulit memoriâ dignus Rex Gun-  
trannus Deo & Sancto Benigno, ad  
victum Monachorum Deo in hoc loco  
deservientium: ut pro se ac sequentium  
Regum salute & peccatorum remissio-  
ne, regniquæ totius statu Domini exo-  
rent clementiam Monachi in isto loco  
degentes.

*Ex eodem Chronico, capite xxxvii.*

» **A** NNO igitur octavo regni sui  
» Clotharius Rex, residens Mosol-  
» laco Palatio suo cum Episcopis & Prin-  
» cipibus regni sui, Wulfechramnus Ab-  
» bas hujus loci adiit ejus præsentiam,  
» conquerens super quorundam Militum  
» ejus violentiâ. Guntrannus namque Rex  
» dederat Sancto Benigno Martyri, pa-  
» trono Divionensis loci, ELARIACUM  
» villam, cum omnibus appendiciis suis.  
» De cujus possessionis terris suprascripti  
» calumniatores molestias inferebant  
» multas memorato Abbati, Monachis-  
» que hujus loci. Rex ergo Clotharius  
» annuens ejus precibus fecit præceptum  
» Sancto Benigno de præscripto fundo,  
» anuloque suo jussit insigniri, ut nullus  
» supradictorum calumniatorum, aut eo-  
» rum heredes vel successores, aut ullus  
» aliquis alius cujuscunque honoris ac  
» dignitatis, in denominato agro audeat  
» aliquam vim inferre. Erat tunc Ma-

OPUSCULUM IV. 187

jordomus Regis suprà nominatus Au-  
bedo, quem in scripto ejusdem præce-  
pti Audebellum vocat.

*Clotharii III. anno octavo, Christi 667.*

*IX. Kalendas Novembris Benignianis  
Lareyum vindicat Wlfechramnus Ab-  
bas: cujus antecessor hîc appellatur Ri-  
chimarus, equalis Bertoaldi Lingonen-  
sis Episcopi, subscripti in Concilio Ca-  
bilonensi circa annum Christi 650.*

*Ex antiquo apographo.*

**C**LOTARIUS Rex Francorum,  
vir illuster. Quotiescumque al-  
tercantum jurgia Palatii nostri, nostra,  
nostrorumque fidelium aut Ecclesiarum  
feu Sacerdotum, pro quarumcum-  
que rerum negotiis noscuntur adve-  
nire, oportet nobis in Dei nomi-  
ne juxta legum severitatem inquirere,  
ut deinceps nulla videatur quæstio re-  
moveri. Ideoque cum nos in Dei nomi-  
ne, Masolago in Palatio nostro, unà

188 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

„ cum Apostolicis viris Patribus nostris  
„ Episcopis , Optimatibus , cæterisque  
„ Palatii nostri ministris ; necnon & Au-  
„ dobello Palatii nostri Comite , qui de  
„ ipso ministerio ad præsens nobis deser-  
„ vire videbatur , ad univerforum causas  
„ audiendas , justoque judicio terminan-  
„ das resideremus ; advenientes ibi acto-  
„ res Basilicæ domni Benigni , quæ est  
„ sub oppidum Divione constructa , ( ubi  
„ ipse pretiosus Martyr in corpore re-  
„ quiescit , & vir venerabilis Wlfe-  
„ chramnus Abba præesse videtur ) vi-  
„ debantur repetere à quibusdam ho-  
„ minibus , dicentes quia anteacto tem-  
„ pore bonæ recordationis parens noster  
„ domnus Guntrannus quondam Rex ,  
„ per testamenti sui paginam ad ipsam  
„ Basilicam Sancti Benigni , villam nun-  
„ cupatam Elariacum , cum adjacentiis ,  
„ vel omni re ad se pertinente concef-  
„ sisset ; & ipsi homines infra ipsos ter-  
„ minos commanentes , ex parte maximâ  
„ plurima pervasissent , vel ad suam par-

tem contradicerent, & redditus terræ  
partibus ipsius Basilicæ reddere con-  
tempnerent, & silvas de ipso agro de-  
vastassent; & terram exinde aut prata  
per loca plurima invasissent, vel vineas  
plantassent, aut calmas rupissent.

Econtrà illi dicebant, quòd ipse  
Princeps domnus Gundrannus per præ-  
ceptionem quam in præsentì protule-  
runt relegendam, in antecessores pa-  
rentes eorum firmasset; ubi contine-  
batur quòd ab eo tempore quo ipsum  
agrum Elariacum jam dictus Princeps  
ad memoratam Basilicam Sancti Beni-  
gni contulerat, per munificentiam ip-  
sius Principis promeruerant, ut quid-  
quid ex successione parentum habe-  
bant, hoc in idipsis confirmatum esse  
deberet. Interrogatum est à nostris Pro-  
ceribus, si cessionem ipsius domni Gun-  
dranni, aut aliorum Principum, seu  
alia instrumenta de ipso agro habebant,  
an non, in præsentì edicere deberent.  
Sed ipsi professi sunt ad præsens, quòd

190 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

» aliud instrumentum nullum vel firma-  
» tionem magis exinde non haberent,  
» quàm quod præsentabant. Unde & ip-  
» sas confirmationes relectas & percur-  
» sas, inventum est à fidelibus nostris  
» quòd nullum detrimentum vel præju-  
» dicium ipsa Basilica domni Benigni de  
» ipso agro Elariacense exinde pate-  
» retur. Etiam & pactionem præsentaba-  
» bant, qualiter antecessor suprascripti  
» Wlfechramni Richimarus quondam  
» Abba, seu & Apostolicus vir domnus  
» Bertoaldus Episcopus, unà cum ipsis  
» vel parentes eorum, de parte maximà  
» de infra termino ipso Elariacense con-  
» tentionem maximam habuissent, &  
» ipsas terminaciones perambulassent, &  
» signa posuissent. Proinde nos taliter  
» unà cum nostris Proceribus, in quan-  
» tum illuster vir Audobaldus Comes  
» Palatii nostri testimoniavit, constitit  
» decrevisse, ut dum hæc causa inter  
» ipsos ( sicut superius continetur ) ta-  
» liter acta vel inquisita fuisset per or-

OPUSCULUM IV. 191

dinem, jubemus ipso agro Elariacen-  
 se, quantumcumque dominus Gun-  
 drannus per testamenti sui paginam  
 ibidem delegavit, postpositâ & calca-  
 tâ ipsâ confirmatione, vel reliquas à  
 successoribus Principibus factas descri-  
 ptiones: ne deinceps per ipsas aliqua  
 removeri videatur causatio; sed quod  
 hæcenus tenuisse videbuntur infra ipso  
 pago Elariacense, vel ubicumque, tam  
 terris, curtiferis, casis, vineis, pratis,  
 silvis, pascuis, aquis, adjacentibûsque  
 suis per alia loca, cum omni jure te-  
 neant, possideant absque sollicitudine,  
 absque alicujus repetitione: sitque in  
 Dei nomine ad partem Sancti Benigni  
 & provisorum loci, subjectorûmque eo-  
 rum evindicatum omni tempore: & sit  
 in posterum de hac re sopita causatio.

Abbelenus recognovit & datavit  
 sub die nono Kalendarum Novem-  
 bris, in anno octavo regnante domino  
 nostro CHLOTARIO feliciter. Amen.  
 Airardus Presbyter recognovi & sub-  
 scripsi.



192 *Excerpta de vita S. Bernardi:*

*Gregorius Papa VII. Farentoni Abbati, ejusque Monasterio, jus eligendi Abbatem, exemptionem ab interdicto Episcopi Lingonensis, jus recipiendi Monachos, & ministros pro Ecclesiis sibi subjectis Episcopo presentandi: libertatem claustrum: possessionem Ecclesie S. Germani de Laré, & in ejus Sanctimonialibus jurisdictionem: omnia denique bona & jura sua, Apostolicâ auctoritate confirmat, anno Christi 1078. Pontificatus V.*

*Ex autographo.*

» **G**REGORIUS Episcopus servus  
» servorum Dei venerabili filio  
» GARENTONI Abbati Divionensis  
» Monasterii, ejusque successoribus regu-  
» lariter promovendis in perpetuum. Su-  
» pernæ miserationis respectu ad hoc  
» universalis Ecclesiæ curam suscepimus  
» & Apostolici moderaminis sollicitudi-  
» nem gerimus, ut justis precantium votis  
» attentâ

OPUSCULUM IV. 193

attentâ benignitatē faveamus. Proinde,   
 dilectē in Domino fili JARENTO Ab-   
 ba, petitionibus tuis grato occurren-   
 tes assensu, libertati ac quieti Mona-   
 sterii vestri auctore Domino duximus   
 providendum. Siquidem ipsum Cœno-   
 bium sub Sedis Apostolicæ protectione   
 suscepimus: & obeunte te nunc ejus-   
 dem loci Abbate, vel tuorum quoli-   
 bet successorum, nullus ibi qualibet   
 subreptionis astutiâ seu violentiâ præ-   
 ponatur, nisi quem Fratres communi   
 consensu secundum timorem Dei, &   
 Regulam Sancti Benedicti elegerint:   
 maximè de eadem Congregatione, si   
 idoneus inventus fuerit. Quòd si talis   
 qui huic regimini congruat, inter eos   
 inveniri non possit, aliunde sibi Patrem   
 & Magistrum expetant, & à Lingo-   
 nensi Episcopo consecrandum ordi-   
 nandumque provideant: si tamen ipse   
 Episcopus gratiam Apostolicæ Sedis   
 habuerit, & canonicè facere ipsam or-   
 dinationem voluerit. Quòd si aliquid

N

194 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

» horum obstiterit, liceat Electo ejus-  
» dem Monasterii, aut ad Apostolicam Se-  
» dem recurrere, aut à quocumque volue-  
» rit religioso Episcopo consecrationem,  
» & Clericorum ordinationes, atque cæ-  
» tera quæ ad Episcopum pertinent, sus-  
» cipere. Statuimus etiam ne ab Epi-  
» scopo vel ministris Lingonensis Eccle-  
» siæ, divina vestro Monasterio interdi-  
» cantur officia: sed continuè celebren-  
» tur, nisi eisdem causis Fratres cessare  
» oporteat, quæ Sedis Apostolicæ Præ-  
» sulis *Benedicti* determinatione distinctæ  
» sunt. Illam quoque in Monachis tuis  
» quietem ac libertatem, quam idem  
» Præsul decreto suo firmavit, nos Bea-  
» ti Petri & nostrâ auctoritate intemera-  
» tam perpetuò manere sancimus. Qui-  
» cumque verò Clericorum vel laïco-  
» rum sese in Monasterio vestro voluerit  
» conferre, vobis liceat eos sine aliquâ  
» contradictione recipere, dummodò  
» propriâ culpâ excommunicati non fue-  
» rint, vel nominatim interdicti. Confir-

OPUSCULUM IV. 195

mamus etiam vobis Ecclesias vestras  
quascumque nunc possideris, seu quas,  
largiente Deo, in posterum canonicè  
possidebitis, statuentes ut nullus Cle-  
ricorum sine assensu vestro in eis au-  
deat ministrare: sed quotiescumque in  
aliquâ earum minister fuerit subrogan-  
dus, vos idoneum ad hoc eligentes  
Episcopo præsentate: qui Episcopus  
curam ei animarum injungat, & sic vo-  
bis de temporalibus, Episcopo verò  
de spiritualibus debeat respondere. Si  
quis autem contra hanc formam in eis-  
dem Ecclesiis ministrare præsumpserit,  
nos eum ab officii sui executione sus-  
pendimus. Claustro etiam in quo Mo-  
nasterium vestrum situm est, eam li-  
bertatem & immunitatem concedimus,  
quam illustris Rex ROBERTUS no-  
scitur contulisse, ut ab omni invasione  
& violentiâ Ducis & hominum suo-  
rum sit in perpetuum liberum ac secu-  
rum, ita ut nichil prorsus à Torrente  
qui Castri, Sanctique causam dividit,

196 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

„ aliquis vel auferre præsumat vel acci-  
„ pere. Ecclesiam quoque Beati Germa-  
„ ni de *Laré*, ubi Sanctimonialia confi-  
„ stunt, vobis perpetuò confirmamus pos-  
„ sidendam: & ut ipsæ Sanctimonialia  
„ nunquam à subjectione Ecclesiæ Divio-  
„ nensis se removeant, sub anathemate  
„ prohibemus; sed semper per vestram  
„ providentiam gubernentur. Decerni-  
„ mus itaque ut nulli omninò hominum  
„ liceat idem Monasterium temerè per-  
„ turbare, aut ejus possessiones auferre,  
„ vel ablatas retinere, minuere, vel te-  
„ merariis vexationibus fatigare. Sed om-  
„ ninò integra conserventur, eorum pro-  
„ quorum sustentatione ac gubernatione  
„ concessa sunt, usibus omnimodis pro-  
„ futura. Si qua sanè ecclesiastica, sæ-  
„ cularisve persona hanc nostræ consti-  
„ tutionis paginam agnoscens, contra eam  
„ temerè venire temptaverit, & ammo-  
„ nita semel & secundò si non congruâ  
„ satisfactione emendaverit, potestatis  
„ honorisque sui dignitate careat, ream-

OPUSCULUM IV. 197

que se divino iudicio existere de per-  
petratâ iniquitate cognoscat : & à sa-  
cratissimo Corpore & Sanguine Dei  
& Domini Redemptoris nostri JESU  
CHRISTI aliena fiat, atque in extremo  
examine districtæ ultioni subjaceat.  
Cunctis autem eidem loco justa servan-  
tibus, sit pax Domini nostri JESU CHRI-  
STI, quatinus & hîc fructum bonæ  
actionis percipiant, & apud districtum  
judicem præmia æternæ pacis inve-  
niant. Amen, Amen, Amen.

Ego GREGORIUS sanctæ Ca-  
tholicæ Ecclesiæ Episcopus. Data La-  
terani per manum *Johannis* S. R. Ec-  
clesiæ Diaconi Cardinalis XIII. Kal. Ju-  
lii. Anno ab Incarnatione Domini  
M. LXXVIII. Indictione I. Pontificatûs  
autem Domni *Gregorii* P. P. VII.  
quinto.

Bulla plumbea cum inscriptione

† GREGORII PAPÆ VII.

N iij

V. Ludovico Seniori Regi prædicit  
mortem Philippi filii ejus  
primogeniti.

**Q**UERELAM Episcoporum adver-  
sus Regem Francorum Ludovicum  
Seniorem, patrem ejus qui nunc est, Lu-  
dovici, manifestè explicant epistola beati  
viri ad Apostolicam Sedem pro hoc ipso  
directe. Factum est autem, ut die qua-  
dam congregarentur ad Regem Episcopi,  
& vocatus ab eis Abbas Clarevallensis,  
qui licet adhuc juvenis, summa tamen  
totius Ecclesie columna jam tunc videba-  
tur. Procidentes autem Episcopi ad pedes  
Regis, humiliter supplicabant ei, ut qui sa-  
tis antè dilexisset & honorasset Ecclesiam,  
parceret etiam in hac parte, ne fortè du-  
riùs quàm vellent, contra eum agere coge-  
rentur. At ille non satis eorum precibus  
acquievit. In crastinum autem durius  
arguebat eum venerabilis Abbas, mani-  
festè deminans quia offendisti terribilem,  
& ei qui aufert spiritum Principum, ter-

ribilem apud Reges terra : & certus esto quoniam offensa hæc , primogeniti tui Philippi morte multabitur. Vidi enim nocte præteritâ , & ecce tu cum filio tuo Ludovico procidebas ad pedes Episcoporum : intellexi autem continuo moriente Philippo supplicaturum te eis , quod non possis nisi per manus eorum substituere Ludovicum. Erat enim Philippus jam unctus in Regem , magna omnino spei adolescens , & patri ( quod ex abundanti est dicere ) omnino carissimus. Unde & audito sermone commota sunt viscera patris super filio suo. Et promisit satisfacturum se Episcopis : sed consiliis seductus iniquis à promissione resiliens , non post multum temporis , miserabilem satis obitum filii sui Philippi , ipse & tota cum eo Francia deploravit.



VI. S. Bernardi epistolam ad Robertum nepotem, in pluviam sine pluvia scriptam, Gaufridus ejus Notarius primam inter ejus epistolas constituit.

**N**EPOS ejus Robertus quemadmodum seductus fuerit, cum adhuc puer esset, ipsius, de qua loqui volumus, epistola verba declarant. Cum enim in alio Ordine jam per aliquot annos demoraretur, scripsit ad eum epistolam, erroneam ovem revocans. Exiit autem extra Monasterii septa, ut dictaret secretius: & Guillelmus (qui postea in Angliis Rievallensem edificavit Abbatiam) qua dictabantur excipiens scribebat in charta. Subito autem inundante pluvia timuit qui scribebat; erant enim sub divo. Cui venerabilis Abbas, Opus (inquit) Dei est: fac quod facis. Res mira! Madebant vestes eorum, & scribebatur grandis epistola, & chartam omnino non tetigit imber. Extat adhuc epistola: & ego ipse primam eam constitui in corpore epistola-

OPUSCULUM IV. 201

rum, cum audissem tam grande miraculum, ab ipsius ore qui scripsit eam in pluvia sine pluvia.

VII. Ducissæ Lotharingæ ad vitam meliorem conversio duplex.

**D**UCISSA Lotharingæ (quæ nunc in Monasterio Sanctimonialium feminarum quod Tartum vocatur, servit Deo in humilitate & paupertate multâ) cum adhuc corporis voluptatibus supra modum dedita esset, contigit venerabilem virum pro pace quadam rogare Ducem pariter, atque ipsam. Dùmque loquens extenderet manum, casu factum est, ut Ducissæ chlamydem tangeret. Cui unus de adstantibus arridens, Super religiosam (inquit) mulierem extendisti manum, Pater. At ille, Nondum venit hora ejus. Audiens Ducissa (siquidem literas noverat) compuncta est vehementer, & usque ad medullas animæ ejus sermo vivus & efficax penetravit. Eodem quoque tempore somnium vidit, quo amplius

202 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

*animata est; Virum Dei ab ejus utero septem serpentes horribiles manu propriâ extrahentem. Cui non longè post committens animam suam, sæculo abrenunciavit: & usque hodie gloriatur se esse, de quâ Pater sanctus ejecit septem demonia.*

Duas attingit Gaufridus Ducissæ hujus conversiones: primam à regali pompâ, & ab aulæ deliciis, quibus in-nutrita erat, ( quippe Lotharii Imperatoris soror, & Simonis eo nomine primi, Lotharingiæ Ducis Serenissimi conjux dilectissima ) ad eam modestiam quam ferebat liberiore ejus conditio, marito adhuc superstite: alteram à sæculari licentiâ ad Tartensium instituti Cisterciensis Monialium severissimam disciplinam. Priorem conversionem refert Manrique ad annum Christi 1133. Posterior evenit anno, ut videtur, 1142. quo Matthæus ejus filius, Lotharingiæ Dux, matris viduæ secessum in Tartense Monasterium certis in

OPUSCULUM IV. 203

novam familiam beneficiis, ejus intuitu profecutus est. Simonem enim Ducem in reditu à Terrâ Sanctâ, Venetiis anno 1141. finem vivendi fecisse referunt Vasseburgius & Roserius rerum Lotharingicarum Scriptores: qui tamen audiendi non sunt, cum hanc Ducissam Gertrudem nuncupant, quæ *Adelais* scribitur in tabulis Tartensibus: & ejus filiam Juditham appellant, Raynaldo Sequanicæ Burgundiæ Principi matrimonio junctam, quæ *Agatha* dicenda est, juxta autographas membranas, quas omni fide expressimus in Probationibus Epistolæ nostræ de Beatrice Cabilonensi Comitissâ, Divionensibus typis editæ jam ex anno Christi 1656.

Has ipsas tabulas quibus Vasseburgius & Roserius redarguuntur, ut Lotharingicæ Historiæ studiosis ad manum sint, hîc quoque tibi repræsentamus.

*Mattheus Dux Lotharingæ, intuitu  
Atheleidis matris sue in Tartar. Monialis  
effectæ, certam salis mensuram apud  
Vicum annis singulis percipiendam,  
Tartensi Monasterio attribuit: Berthâ  
ejus conjugæ, fratre ejus Balduino, &  
Agathâ sorore laudantibus, anno Chri-  
sti 1142.*

*Ex autographo Tartensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Tri-  
nitatis, Patris, & Filii, & Spiritus  
sancti. Lex spiritualis & carnalis exigit,  
ut pro amicis honesta faciamus, præci-  
puè pro eis quos nexu consanguinita-  
tis & vinculo caritatis, artiùs post  
Deum diligere præcipimur & debe-  
mus. Apostoli sententia hæc est: Qui  
suorum, & maximè domesticorum cu-  
ram non habet, fidem negavit, & est  
infideli deterior. Ego igitur MAT-  
THÆUS, divinæ permissionis dono  
Lotharingorum Dux & Marchio, No-

OPUSCULUM IV. 205

tum facio omnibus tam posteris quàm  
 præsentibus, quoniam inspirante gra-  
 tiâ Spiritus sancti, erga obsequium ve-  
 nerabilis *Ducissæ* ATHELEIDIS ma-  
 tris meæ, præcordialem affectum inti-  
 mæ dilectionis assumpsi; quæ muta-  
 tione dexteræ Excelsi, pauper rebus &  
 spiritu, sanctæ conversationis propo-  
 situm & habitum susceperat in Ecclesiâ &  
 Congregatione Tartensi. Invitante ita-  
 que gratiâ & compassione gratissimâ  
 dulcissimæ matris meæ; pro remedio  
 animæ meæ, prædecessorúmque & suc-  
 cessorum meorum salute; laude & con-  
 cessione uxoris meæ BERTHÆ; con-  
 sensu etiam, immò petitione *fratris*  
 mei BALDUINI, & AGATHÆ so-  
 roris meæ, v. sesses apud Vicum, ELI-  
 ZABETH Abbatissæ, & Sororibus Tar-  
 tensis Ecclesiæ, in perpetuum regula-  
 riter promovendis, per manum vene-  
 rabilis Stephani Metensis Episcopi li-  
 berrimâ donatione concessi. Eo vide-  
 licet tenore, ut illas absque ullo respe-

206 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

» ctu, liberè & absolutè perpetuò possi-  
» deant : & pro hac eleemosynâ, tam  
» pro me, quàm pro animabus patris  
» mei & parentum meorum apud cle-  
» mentiam Dei devotiùs intercedant.  
» Hanc denique donationem, ad signum  
» & munitionem perpetui monumenti,  
» pontificali testamento, sigillo, & ana-  
» themate decrevimus canonicè & legi-  
» timè roborari; ut nullâ deinceps vio-  
» lentiâ, nullâ successorum nostrorum  
» calumpniâ valeat inmutari. Utriusque  
» etiam conditionis & ordinis, tam cle-  
» ricorum quàm laicorum, idoneos ad-  
» hibuimus testes, sub assignatione si-  
» gilli nostri, tempore necessitatis reco-  
» gnoscendæ veritatis promptissimos de-  
» fensores. Testes autem hujus rei sunt,  
» Walterus Magister & Archidiaconus,  
» Embertus Sacerdos *de Vico*, Gisleber-  
» tus *de Espinal*, Jordanus Medicus, Al-  
» bertus *de Romunt*, Gualterus *de Gisle-*  
» *berviler*, Raimbardus frater ejus, Odo-  
» winus *de Maylan*, Guelpho *de Melisei*,

OPUSCULUM IV. 207

Raynerus de Nancei, Arnulfus de Gisle-  
 rencurt, Urricus de Arcu, Drogo de  
 Nancei. De familiâ Sancti Stephani,  
 Gerardus de Jussey, Guidricus frater  
 ejus, Richardus de Rinporth, Alber-  
 tus de Ventosâ, Albertus de Siey, Gual-  
 terus de ultra Mosellam, Teobaldus  
 Pincerna, Bertrannus de Castello, Hay-  
 mericus de Visinul, Nicolaus de Portu-  
 salie, Johannes Botes de Vico. De fa-  
 miliâ Ducis, Symon de Parreia, Ge-  
 rardus Advocatus de Brueris, Guar-  
 nerus frater ejus, Guillelmus de Ar-  
 chis, Folmarus de Muçuns, Petrus de  
 Aleiâ, Bertaldus de Bithis, Gualterus  
 Præpositus de Nancei. Imperante feli-  
 citer Conrado Rege, Innocentio papan-  
 te, indictione V. Epactâ xxii.



*Fredericus Tullensium Comes, & uxor  
ejus Hawidis, ratum habent anno  
Christi 1142. donum salis apud Vicum  
percipiendi, quod Monasterio Tarten-  
si Mattheus Lotharingæ Dux paulò  
antè concesserat.*

*Ex autographo Tartensi.*

» **I**N nomine sanctæ & individuæ Tri-  
» nitatis. Ego FREDERICUS Dei  
» annuente clementiâ Tullensium Co-  
» mes indignus, & uxor mea HAWI-  
» DIS, providentes salutem animarum no-  
» strarum, & expectantes remuneratio-  
» nem à Deo, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ  
» Tartensi, & venerabili Abbatissæ ELI-  
» ZABETH, & Sororibus ibi Deo fa-  
» mulantibus, liberâ traditione donavi-  
» mus v. fesses apud Vicum, per ma-  
» num Comitis R. Barrensis, & Odo-  
» nis de Mollem; priùs donatos eis à  
» MATTHÆO Duce, & BALDUINO  
» fratre ejus, & assensu sororis eorum  
AGATHÆ.

OPUSCULUM IV. 209

AGATHÆ. Quia verò solent ple-  
rumque mundanarum possessionum  
traditiones, successorum calumpniã  
transmutari; ut caveri possit, utile  
duximus, ad posterorum notitiam te-  
naciter commendari. Quapropter præ-  
dictam donationem, quia eam in por-  
tione nostræ hereditatis suscepimus,  
susceptam liberè donavimus, sigillo  
nostro confirmavimus; adhibentes te-  
stes idoneos, quorum auctoritate res  
firmata & stabilita perpetuò maneat.  
Nomina autem eorum hæc sunt. Ste-  
phanus majoris Ecclesiæ Decanus &  
Archidiaconus, Hugo de Gundricurt  
Archidiaconus, Albero, Bovo, RAI-  
NALDUS Comes Barrensis, Henricus  
frater Comitis Frederici, Odo de Mo-  
lem, Falco de Mandalis, Hynfridus,  
Ulricus de Domno Martino. De civi-  
tate, Henricus Advocatus, Henricus  
de Cacerval, Fulco de Sancto Vedasto.  
De familiã Comitis, Walo de Fonti-  
niaco, & Wiardus frater ejus. Hoc

O

210 *Excerpta de vita S. Bernardi.*  
actum est anno ab Incarnatione Do-  
mini M. C. XLII. Indictione v. Epa-  
ctâ XXII.

*Hugo Dux Burgundia testatur anno Chri-  
sti 1142. quosdam homines datos esse  
Monasterio de Tart, præsente cum aliis  
Aylide inclytâ Lothoringorum Ducissâ.*

*Ex autographo Tartensi.*

QUONIAM quæ memoriter tene-  
ri volunt, nisi scripto commen-  
dentur, facilè oblivionis nubilo solent  
obfufcari, eapropter ego HUGO Dux  
Burgundiæ Notum fieri volo tam præ-  
sentibus quàm futuris, quòd Step-  
hanus dominus Faverniaci, & Wiardus  
atque Savericus fratres ejus, dederunt  
in perpetuum pro remedio animæ suæ  
atque fuorum, Deo & Ecclesiæ Sanctæ  
Mariæ de Tardo, atque Sanctimoniali-  
bus ibidem Deo fervientibus, Landri-  
cum de Faverniaco & filios ejus, cum  
manso & appendiciis ejus, omnique te-

OPUSCULUM IV. 211

nemento eorum. Affuerunt hujus rei  
 testes, *Joffridus Boschoz*, *Theodericus*  
 frater ejus, *Albericus* Presbyter, *Ste-*  
*phanus de Magneiaco*, *Aymo*, *Bailla*,  
*Vaslinus*, & multi alii: laude *Fulconis*  
*de Mallé*. Idem quoque *Stephanus* &  
*Wiardus* atque *Savericus*, dederunt in  
 perpetuum ipsis Sanctimonialibus *Gui-*  
*donem Grossumdenarium de Pluveio*,  
 cum omnibus heredibus ejus, & cum  
 manso, & omni tenemento ejus: assi-  
 stentibus testibus, *Humberto de Wu-*  
*cheio*, *Guidone Eschot*, *Guidone de Ver-*  
*neto*, *Brutino de Pluviaco*, & pluribus  
 aliis. Dederunt etiam eidem fratres,  
 prædictæ Ecclesiæ de *Tardo* & sanctis  
 Monialibus, apud *Marcenniacum Mau-*  
*ricium Regem*, *Odonem* & *Henricum*,  
 fratres ejus, cum mansis & appendi-  
 ciis, vineis & aliis terris, omni que te-  
 nemento eorum. Hæc autem omnia  
 dona suprædicti fratres fecisse recogno-  
 verunt in præsentia meâ, pro remedio  
 animæ suæ, omniumque prædecesso-

212 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

rum suorum, atque sigilli mei testimo-  
nio confirmari postulaverunt : assisten-  
tibus testibus, **HELISABETH** Abba-  
tissâ, **MARIA** Priorissâ, **AYLIDE**  
inclytâ Lothoringorum Ducissâ, *Ro-*  
*dulfo* Capellano, *Stephano* Capellano de  
*Genlé*, *Eschot* de *Pluviaco*, *Aymone* *Ru-*  
*fo* de *Divione*, *Willermo* de *Marrigneio*.  
Actum est hoc, anno ab Incarnatione  
Domini **M. C. XLII**. Indictione v. Epac-  
tâ **XXII**.

*Locus sigilli, de taniâ  
pergamená suspens.*

*Agatha Lotharingie Ducis filia, Raynal-*  
*di Burgundie Comitis conjux, 1148.*  
*Indictione x. Epactâ XVII. Concur-*  
*rente 2.*

*Ex autographo Ecclesie Bisontina.*

**I**N nomine Sanctæ & individuæ  
Trinitatis, **RAYNALDUS** *Burgun-*  
*die Comes*. Mos & consuetudo Prin-

OPUSCULUM IV. 213

cipum, videlicet antecessorum nostro-  
 rum, talis semper extitit, ut loca San-  
 ctorum ob æternæ remunerationem  
 beatitudinis sublimarent, & donis mul-  
 tiplicibus honorarent. Horum ergo  
 morem sequentes, libuit nobis Bisun-  
 tinam beati Protomartyris Stephani Ec-  
 clesiam, ob amorem cælestis patriæ, &  
 ejusdem Ecclesiæ venerabilis Decani  
 Petri, nobis valdè dilecti, benè meritum  
 famulatum, ex rebus nostræ propieta-  
 tis æternaliter honorare, atque mune-  
 rari. Comperiat igitur universitas fide-  
 lium, quoniam ut nobis, & antecesso-  
 ribus nostris ibidem quiescentibus, po-  
 tissimum lucri præmium, à remunera-  
 tore bonorum omnium Deo, in die  
 tremendi examinis proferatur; quic-  
 quid terrarum, vel possessionum, quæ  
 à nobis tenentur, eadem beati Proto-  
 martyris Ecclesia à feodariis nostris ha-  
 ctenuò adquisivit, vel in futurum qui-  
 buslibet modis acquirere poterit; lau-  
 de, & consensu fratris nostri GUIL-

O iij

214 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

» LERMI Comitis, & dulcissimæ collate-  
» ralis nostræ AGATHÆ, *Lotharingie*  
» *Ducis filie*, ei liberè concessimus. Præ-  
» terea verò huic paginæ operæ pretium  
» duximus inferere, quòd memoratus  
» Decanus magnâ precum instantiâ nos  
» rogaverit, ut usualem illam hospitii  
» susceptionem, quam in villâ Sancti  
» Stephani, quæ dicitur *Tercennays*, ha-  
» bemus; & exactionem, quam à pisca-  
» toribus ejusdem Protomartyris, in villâ,  
» quæ *Parlisia* nuncupatur, fitis, nos, &  
» ministri nostri facere solebamus, præ-  
» fatæ Ecclesiæ concedentes, in pace di-  
» mitteremus. Cujus petitionem non tan-  
» tùm honestam, quantùm nobis utilem  
» considerantes, nefas esse putavimus, si  
» ei pro voto suo non satisfecerimus.  
» Concessimus itaque per hanc nostræ  
» donationis paginam, præfatæ sancti  
» Protomartyris, patroni nostri, Eccle-  
» siæ, quam in jam dictâ villâ de *Tercen-*  
» *nay*, habere videbamus consuetudi-  
» nem: quæ à piscatoribus de *Parlisiâ*


OPUSCULUM IV. 215

justè vel injustè, census, & piscium “  
 exigi consueverat, exactionem. Roga- “  
 musque successores nostros, ut quod “  
 pro remedio nostro fecimus, seruent “  
 illibatum; quemadmodum quod pro “  
 animabus suis fecerint liberandis, ma- “  
 nere voluerint firmum. Ut autem hoc “  
 nostræ donationis scriptum, firmiter in “  
 posterum robur obtineat, sigilli nostri “  
 impressione illud insigniri iussimus, & “  
 testes, qui adfuerunt, subscribi. *Gerar-* “  
*us* scilicet, & *Egidius*, Jerosolimita- “  
 ni Templi Milites: *Wido* Abbas de “  
*Durnac*: & *Raynaldus* Comestabilis, & “  
 multi alii. Actum anno dominicæ In- “  
 carnationis M. C. XLVIII. Indictione X. “  
 Epactâ XVII. Concurrente II. felici- “  
 ter. Amen. “

*Sigillum chartæ perga-*  
*gamena affixum, quod*  
*propter pagine angustias*  
*in sequens folium re-*  
*jecimus.*

○ iiij





Refert Chryfostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis, lib. I. dist. 4. cap. 44. Ducissæ hujus quamdam Epistolam, datam ad S. Bernardum, quam ille accepit in ex-

tremis constitutus, biduo antè quàm animam efflaret. Cui nihil respondens, dixit nuncio, se illi responsurum in spiritu. Unde in ultimâ agoniâ illi apparuit, prædixitque brevi illam se secuturam. Illa verò post tres hebdomadas Magistrum suum secuta est. Hic exitus sancti Magistri, & sanctæ discipulæ. Fiant novissima nostra horum similia. Ducissæ Epistolam illam describit Henriquez ex Historiâ Lotharingiæ Monstreleti, & ex Chronicis Bernardi Brittonis tom. 1. lib. 3. cap. 28.

VIII. Reginæ Alienordi S. Bernardus promittit obtinetque à Deo prolem.

**E**T præcipuus hujus incentor odii (inter Regem Ludovicum Junio-rem, & Campaniæ Comitem Theobaldum) Comes Viromandensium fuit, Radulfus de Peroniâ, sororem Reginæ tenens, dimissâ quadam affini Comitis Theobaldi. Factum est in festivitate beati Dionysii, Regina Alienordis in Ecclesiâ ip-

218 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

*suis Martyris cum Patre nostro loquebatur, conquerens quòd conclusisset Dominus vulvam ejus, ne pareret: jam enim annis ferè novem vixerat cum Rege, & à primis quidem annis conceperat, sed fecerat abortivum, & exinde sterilis permanebat, jam de fecunditate desperans. Cui miserabiliter conquerenti Pater Venerabilis ait: Sollicite quare quæ ad pacem sunt, & ego tibi, confisus de divinâ miseratione, partum promitto. Hoc & ipse Rex per Regina verbum cognoscens, ubi perfecta est reconciliatio, secretiùs alloquens beatum virum, quod Regina promiserat, exigebat, &c. Ipso denique anno Regina concepit, & peperit.*

**I X.** *Conversio Gaufridi ipsius, & aliorum de Scholâ Parisiensi.*

**C**ONTIGIT aliquando *Virum Dei* pro quibusdam negotiis ad partes Gallie proficisci: cùmque in itinere & in reditu Scholaribus Parisiensibus (ut solebat) fecisset de conversione sermonem,

OPUSCULUM IV. 219

vespere cœpit contristari & mœstus esse, dicens Deo in orationibus suis, quia timeo omnino ne fortè oblitus sis mei, cùm præter morem, infructuosum penitus factum sit iter meum, & neque de his propter quæ veneram, aliquid obtinuerim, nec apud Clericos istos in verbo tuo apertum sit mihi ostium ullum. In ipsâ enim horâ ita consolatus est eum Deus, ut manifestè præscierit, & prædixerit, quia nequaquam vacuus hinc abibo. Sit benedicta dies illa à Domino, quâ sedenti in tenebris & in umbrâ mortis lux orta est mihi. Sit benedicta dies quâ Sol justitiæ, immò misericordiæ, oriens visitavit ex alto miseram animam meam: aduersum & perversum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inæstimabili mutatione dextera Excelsi, prorsus in alium hominem recreans, ut sim initium aliquod creature ejus. In æternum non obliuiscar miserationis hujus, quâ tam copiosè præventus, tam subito mutatus, multorum super me animos obstu-

220 Excerpta de vita S. Bernardi.

pesce feci. Multi verò in illà capturà dominicis retibus irretiti sunt pisces, multi & in itinere adjuncti nobis; ità ut transacto probationis anno, ex hoc Collegio Monachi facti simus viginti & unus. Eodem sanè tirocinii nostri tempore, absente aliquando Patre nostro, cæpi corpore infirmari, & affligi mente. Scio quia Satanas expetivit me, ut cribraret sicut triticum: sed non latuere Patrem quæ circa me agebantur: & perfectè omnia cognoscens per spiritum, quæ versabantur in corde meo, (sicut post reditum ejus comperi) oravit pro me ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, suprà quàm essem, impressisti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus. Gratias tibi, Domine, gratias tibi. Unde enim tali anima in tali pectore talis locus? Simile quiddam sibi Venerabilis Albericus, qui hodie Abbas est in loco, cui nomen est Benedictio Dei, de se, cum novitius esset, accidisse testatur.

X. Mors Guidonis, fratris ejus primogeniti, in Pontiniaco, nocte festi Omnium Sanctorum.

**S**ENIOR frater ejus Guido, dum cum eo à Bituricensi territorio redit (novam quippe illuc deduxerat Abbatiam) febre acutâ correptus, diebus paucis Pontiniaci infirmatus est: & ipsâ nocte quâ Sanctorum Omnium festivitas agebatur, felici eorum consortio meruit aggregari.

Manrique in Annalibus Cisterciensibus, ad annum 1136. Guidonem S. Bernardi fratrem primogenitum obiisse dicit Pontiniaci: & eodem anno meminit deductæ Abbatix Nigrilacus in territorio Bituricensi; de die obitus tacet. Herbertus Turritanus Archiepiscopus à nobis editus, in S. Bernardi genere illustri, libro 2. de Miraculis, cap. xi. Cùm, inquit, S. Bernardus audisset aliquando, quemdam de filiis

222 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

» suis spiritualibus, virum bonum & re-  
» ligiosum, missum ab eo in Norman-  
» niam, desperatâ ibi ægritudine laboran-  
» tem, decrevit mittere, & reducere  
» eum ad se, ut devotus frater in nidulo  
» suo moreretur, & desideratâ sibi sepul-  
» turâ non privaretur. Verumtamen qui-  
» dam de fratribus ejus carnalibus, no-  
» mine GUIDO, nitebatur huic obviare  
» consilio; quia cùm esset unus de pro-  
» visoribus Clarævallis, intendebat ( ut  
» credo ) parcere sumptui & labori. Qui  
» cùm pertinaciter hujusmodi dissuasioni  
» insisteret, dixit ad eum beatus Bernar-  
» dus: Numquid major est tibi cura de  
» pecuniâ vel jumentis, quàm de fratri-  
» bus tuis? Quia ergo non vis ut fratres  
» nostri nobiscum requiescant in valle  
» istâ, nec tu ipse requiesces in eâ. Et  
» factum est ità: nam isdem Guido, quan-  
» quam aliàs vir bonus & religiosus fo-  
» ret, tamen ut sermo Sancti impleretur,  
» non est consummatus in Claravalle;  
» sed apud Pontiniacum præventus ægri-


OPUSCULUM IV. 223

tudine lecto decubuit, ibique dispo-  
nente Deo & terminum vitæ, & se-  
pulturæ locum accepit. *Hactenus*  
*Herbertus.*

Chrysofomus Henriquez in Me-  
nologio Cisterciensi Guidonem ait  
morte præventum Pontiniaci quinto  
Idus Maii. Dignior fide Gaufridus,  
qui Kalendis Novembris, nempe in  
festo Omnium Sanctorum, Guidonem  
disertè asserit, illorum fuisse consortio  
aggregatum. Sed typographi crasso er-  
rore, in eodem Menologio ad nonam  
diem Decembris hæc habentur: *Nam*  
*de Guidone in ipsa Divi Patris historiâ*  
*legitur, illum in Firmitate vitam fini-*  
*viffe, & ibidem secundum Bernardi pro-*  
*phetiam locum sepultura accepisse. Lege,*  
*in firmitate detentum Pontiniaci vitam*  
*finiviffe, &c.* Ipse Henriquez ad XI.  
diem Maii; *Cum Pontiniaci ultimum*  
*ageret spiritum idem Guido, & tunc in*  
*Claravalle existeret sanctus Bernardus,*  
*convocatis Monachis suis, Guidonis obi-*



224 *Excerpta de vita S. Bernardi.*  
*tum jam instare indicavit: & post paulu-*  
*lum sereno vultu & placido ore dixit:*  
*Fratres, rogate Guidonem ut oret pro*  
*nobis; jam enim id potest, & eo loco*  
*est ut possit. Et post mortem non semel*  
*visus est in magna gloria.*



**APPENDIX.**